

## Concilia Galliæ 314-506

### COLLECTIO CANONICA CONCILII ARELATENSE SECUNDUM NUNCUPATA

a. 442-506



**Collectio Arelatensis, dicta «Secundi concilii Arelatensis»  
(e collectione Hispana)**

Romæ MMVII

Fontes: SL 148 (C. Munier, 1963), p. 114-125 vel MUNIER, C. C. L. 148, 162-188.

Elenchus titulorum deest (p. 126-130).

È la prima collezione di questa Regione (Galliae), e veniva attribuita ad un solo concilio. In realtà non si tratta soltanto di un concilio, bensí di una collezione composta in Gallia tra il 492 e il 506. Essa contiene: i canoni del I concilio di Arles (314); i canoni del I concilio ecumenico di Nicea (325); i canoni del I concilio di Oranges (441) e i canoni del I concilio di Vesance (442).



Questo documento è stato realizzato con la massima cura per lo studio avanzato nel campo del diritto canonico.

*È importante ricordare tuttavia che nelle ricerche di maggiore importanza è sempre opportuno un accurato confronto preliminare con i testi originali.*

Nell'eventualità che troviate un errore siete pregati di segnalarlo con precisione inviando un messaggio alla seguente casella di posta elettronica: [email@internetsv.info](mailto:email@internetsv.info).

This document has been realized with maximum care for the advanced study in canon law.

*It is important to remember nevertheless that in the searches of great importance is always opportune an accurate comparison with the original texts.*

In the eventuality that a bug is found please sending precise message to the following e-mail: [email@internetsv.info](mailto:email@internetsv.info).

## **COLLECTIO CANONICA CONCILII ARELATENSE SECUNDUM NUNCUPATA**

Ordinari ad diaconatus ac sacerdotii officium neophytum non debere.

Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in coniugii uinculo constitutum, nisi fuerit præmissa conuersio.

Si quis clericus a gradu diaconatus in solacio suo mulierem præter auiam, (matrem), sororem, filiam, neptem uel conuersam se cum uxorem habere præsumpsert, a communione alienus habeatur.

Par quoque et mulierem, si se separare noluerit, pœna percellat.

Nullus diaconus, uel presbyter, uel episcopus ad cellarii secretum intromittat puellam, uel ingenuam, uel ancillam.

Episcopo sine metropolitano uel epistula metropolitani uel tribus comprouincialibus non liceat ordinare, ita ut alii comprouinciales epistolis admoneantur, ut scripto responso consensisse significant.

Quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero metropolitanus in electione consentiat.

Illud autem ante omnia clareat, eum qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcopus, iuxta magnam synodus esse episcopum non debere.

Hos qui se carnali uitio repugnare nescientes abscidunt ad clerum peruenire non posse.

Si quis excommunicatum alterius, siue clericum, siue sæcularem, recipere post interdictum præsumpsert, nouerit se reum fraternitatis factum causam in concilio redditurum.

Nouatianum in communionem recipi non debere, nisi suscepta pænitentiæ credulitate præteritum damnet errorem.

De his qui in persecutione præuaricati sunt, si uoluntarie fidem negauerunt, hoc de his nicæna synodus statuit ut quinque annos inter catechumenos exigant et duos inter communicantes, ita ut communionem inter pænitentes non præsumant; in potestate tamen uel arbitrio sit episcopi, ut si eos ex animo errorem deflere et agere pænitentiam uiderit, ad communionem pro ecclesiastica humanitate suscipiat.

Si qui uero dolore uicti et pondere persecutionis negare uel sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter catechumenos, triennio inter pænitentes habeantur a communione suspensi.

De his qui in pænitentia uitam positi excesserunt placuit nullum communione uacuum debere dimitti, sed pro eo quod honorauit pænitentiam, oblatio illius recipiatur.

Nullus cuiuscumque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non episcopus, quacumque occasione faciente, propriam relinquat Ecclesiam, sed omnimodis aut excommunicetur aut redire cogatur.

Quod si aliquo commorationis tempore, inuito episcopo suo, in aliena Ecclesia habitans, ab episcopo loci clericus ordinatus, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.

Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram aut conductor alienæ rei uoluerit esse, aut turpis lucri gratia genus aliquod negotiationis exercuerit, depositus a clero a communione alienus fiat.

In secretario diacono inter presbyteros sedere non liceat, uel corpus christi præsente presbytero tradere non præsumat.

Quod si fecerit, ab officio diaconatus abscedat.

Photiniacos siue paulianistas secundum patrum statuta baptizari oportere.

Bonosiacos autem ex eodem errore uenientes, quos sicut arrianos baptizare in trinitatem manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.

Ad arelatensis episcopi arbitrium synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus sub sancti marini tempore legimus celebratum fuisse concilium atque conuentum.

Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam uice sua dirigat.

Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum antequam concilium dissoluatur crediderit deserendum, alienatum se a fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.

De agitatoribus siue theaticis qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agunt, a communione separari.

Pænitens quæ defuncto uiro alii nubere præsumpserit, uel suspecta uel interdicta familiaritate cum extraneo uixerit, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

Hoc etiam de uiro in pænitentia positu placuit obseruari.

Pænitentiam coniugatis nonnisi ex consensu dandam.

Si in alicuius episcopi territorio infideles aut faculas accendunt aut arbores, fontes uel saxa uenerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegii reum se esse cognoscat.

Dominus aut ordinator rei ipsius, si admonitus emendare noluerit, communione priuetur. Eos qui falso fratribus suis capitalia obiecisse conuicti fuerint, placuit eos usque ad exitum non communicare, sicut magna synodus ante constituit, nisi digna satisfactione pænituerint.

Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant et ad sæculum redeunt, et postmodum pænitentiæ remedia non requirunt, sine pænitentia communionem penitus non accipiant: quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti.

Et quicumque ille post pænitentiam habitum sæcularem non præsumat; quod si præsumpserit, ab Ecclesia alienus habeatur.

Hereticus in mortis discrimine positus, si catholici esse desiderant, et si desit episcopis, a presbytero cum crismatis benedictione consignare placit.

Nullum ministrum qui baptizandi recipit officium sine crismate usquam debere progredi, quia inter nos iuxta synodi constitutione placuit simel chrismari.

De his qui in extremis pereclitantur pænitentia accepta placuit sine reconciliatura manus impositione eis communicare.

Quod si accepto hoc uiatico superuixerint, stent in ordine pænitentum, ut ostensis necessariis pænitentiæ fructibus, legitime reconciliaturia manus impositione recipient.

Pænitencia desiderantibus etiam clericis non negandam.

Eos qui ad Ecclesiam configurerint tradi non oportit, sed eos domini sui promissa intercessione exire persuadeant.

Quod si ab Ecclesia exeuntibus poenale aliquid intulerint, ut Ecclesiæ inimici habeantur excommunes.

Si quis clericorum religionis negotia uel spirituales causas Ecclesiæ ad sæcularia patrocinia, relicta synodo, transferre præsumpserit, excommunicatione omnium ac detestatione dignus habeatur.

Simili modo causa quæ inter clericos uertitur, ne inuito episcopo ad sæculares iudices deferatur, sed episcoporum iudicio terminetur.

Si quis autem mancipia clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes ecclesias districtissima damnatione feriatur.

Si quis per testamentum manumissum in seruitute uel obsequium uel in colonaria condicione inpræmtere temptauerit, animaduersionem ecclesiastica arceatur.

Si quis in Ecclesia manumissum crediderit ingrati titulo reuocandum, non aliter liceat nisi eum gestis apud acta municipum reum esse ante probauerit.

Si quis alibi consistentem clerecum ordinandum potuerit, prius definiat et cum ipso habitet.

Sic quoque non sine consultatione eius episcopi cum quo ante habitabit, nec eum qui forte non sine causa diu ab illo non ordinatus est ordinare præsumat.

Si quis episcopus in aliena ciuitatis terretorio Ecclesiam ædificare disponit uel pro agri sui aut ecclesiastici uel quamcumque suorum oportunitate, permissa licentia ædificandi, qua prohiberi hoc uotum nefas est, non præsumat dedicationem, quæ illi omnimodis reseruanda est in cuius territorio Ecclesia adsurgit, reseruatis ædificatori hanc gratiam ut quos desiderat clericus in re sua uidere, ipsos ordinit is cuius territrium est, uel si iam ordinati sunt, ipsus habere adquiescat, et omnes Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum in cuius terretorio eclesia surrexerit, pertenebit.

Et si quid ipsi Ecclesiæ fuerit ab episcopo conditore conlatum, is in cuius territorio est, auferendi exinde aliquid non habeat potestatem.

Hoc solum ædificatori episcopo crededimus reseruandum.

Quod si etiam quicumque Ecclesiam ædificauerit et alium magis quam eum in cuius territorio ædificat inuitandum putauerit, tam ipse cui contra constitutione uel districione gratificari uult quam omnes episcopi, qui ad huiusmodi dedicationem inuitantur, a conuentum abstinebunt.

Si ordinem excesserit, in reatu deuocabitur.

Sobito obmutiscens baptizari potest et amentibus quæcumque pietatis sunt conferenda. Inergumini baptizati, si de purgatione sua curant et se sollicitudine ecclesiasticæ tradunt motis que obtemperant, omnimodis communicent, sacramentis ipsius uitute ab incursu dæmonii quo infestantur purgandi, quorum ostenditur uita purgatior.

Inerguminis cathicuminis, in quantum uel necessitas exegerit uel oportunitas permiserit, de baptismate consolendum.

Si qui palam aliquando arrepti sunt, non solum non adsumendi sunt ad ullum ordine clericatus, sed et si iam aliqui ordinati ab inposito officio repellendi.

In prouinciis nostris placuit de præsumptoribus, ut sicubi duo episcopi ausi fuerint episcopum facere, etiamsi metropolitani episcopi epistolam non habuerint, et his qui ordinatus est cum ordinatoribus excludatur.

Placuit præterea ut secundum synodi instituta non ordinetur diaconi coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem.

Si quis autem in postero accepta benedictione leuitica cum uxore sua incontinentis inuenitur, ab officio abiciatur.

De his quos clericatui alligari ipsa uitæ gratia suggesserit, si forte internupta et duplicata matrimonia inciderunt, non ultra subdiaconatum ecclesiasticas capiant dignitates; quod si facti forsitan sunt, ab ecclesiastico remoueantur officio.

Professas uiduas, si connuentiam præstiterint, cum raptoribus esse damnandas.

Secundum constitutionem synodi vasensis, quicumque oblationem fidelium suppresserit aut negauerit, ab Ecclesia cui fraudem fecerit excludatur.

Si quis episcopi sui sententiæ non acquiescit, synodi legibus audiendum.

Secundum instituta seniorum, si quis a communione sacerdotali fuerit auctoritate suspensus, hunc non solum a clericorum sed etiam a totius populi colloquio atque conuictu excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.

Hi qui publicis inter se odiis exardescunt, ab ecclesiasticis conuentibus remouendi, donec ad pacem recurrent.

Si expositus ante Ecclesiam cuiuscumque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam; et si is qui collectus est intra decem dies quæsusitus agnitus que non fuerit, securus habeat qui collegit.

Sane qui post prædictum tempus calumniator extiterit, ut homicida ecclesiastica distinctione damnabitur, sicut patrum sanxit auctoritas.


De puellis quæ se uouerunt deo et præclari decore nominis floruerunt, si post uiginti et quinque annos ætatis ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decreuimus, ut cum his cum quibus se alligauerint communione priuentur, ita ut iis postulantibus pænitentia non negetur; cuius pænitentiæ communio multo tempore differatur.

Si quis famulorum cuiuslibet conditionis aut generis, quasi ad exacerbandam domini distinctionem, se diabolico repletus furore percuesserit, ipse tantum sanguinis sui reus erit, neque ad dominum sceleris alieni pertinebit inuidia.

Placuit in ordinatione episcopi hunc ordinem custodiri, ut primo loco uenalitate uel ambitione submota tres ab episcopis nominentur, de quibus clerici uel ciues erga unum eligendi habeant potestatem.

Si quis sacerdotum crediderit  
sæcularium amore religionis se ad quemcumque sacerdotum conferendum,  
ipse sibi eum quem erudiendi gratia suscepit uindicabit.

Hoc etiam placuit custodiri ut nihil contra magnam synodum metropolitani sibi  
æstiment uindicandum.



<http://www.internetsv.info>

[email@internetsv.info](mailto:email@internetsv.info)